

I. N. D. O. M.

Dissertatio Academica,

Explicatura Quæstionem:

*An Leges Divinæ Positivæ
Universales dentur?*

Cujus

Partem Priorem,

*Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. ad
Auram Lyceo,*

Præside

Mag. Johanne Bilmark,

Histor. & Phil. Pract. Professore Reg. & Ordin.

Publico examini subjicit

Johannes Fridericus Reichardt,

Svec - Götthas,

In Auditorio Majori die xiv Decembr.

Anni MDCCCLXXXV,

Horis ante meridiem solitis.

Aboæ, Typis Vidua R. Acad. Typogr. J. C. Frenckell.

Fabriqueuren,

Högakad

Herr Christopher Died. Reichardt,

Min Huldaſte Fader,

Ett vördrads-proſ jag ville visa
Min Far, mitt ursprung och mitt väl,
Er myckna godhet vårdigt prisa,
Det är en välfüst för min fäl.
Men ej med ord jag nog kan tyda
Hvad hjerterat ånnu känner mer,
Då Sonlig pligt jag tänker lyda,
Min Far min svaghet öfverser.
Uptag nu dessa blad jag gifver
Som prof utaf en takſam drift,
Er ömhet och Er godhet bliſver
Mitt vördrads åmne til min grift.
Låt, GUD, min Far och Mor få röna
Din nåd och yrneſt dag från dag:
För godt mig ſkeda Du Dem be öna,
Sidſt Dem i Himmelk frögd uptag!

Min Huldaſte Faders

Ödmjuklydigste Son

Johan Frid. Reichardt.



Præfatio.

Philosophos, diversitatem Legum, a Summo Numinis generi humano latarum, agnoscentes, Ide accurate earundem divisione inter se non convenire, Historia satis docet Litteraria. Scholasticis suam originem debet divisio Legum Divinarum in *Morales*, *Ceremoniales* ac *Forenses*; quæ, manca licet, multis diu fuit probata. Aliorum in hoc divisionis negotio tentamina, parum certe felicia, silentio prætereuntes, sommodo observamus, quod Illustris HUGO GROTIUS, qui Jurisprudentiam, majori, quam ante suam factum fuit ætatem, studio ac successu excoluit, *Jus omne in Naturale ac Voluntarium* diviserit; Voluntarium rursus in *Divinum & Humanum* subdividens, ac *Voluntarium Divinum* in *Universale & Particulare* distinguens (a). Placuit multis divisio hæc Legum Divinarum Grotiana, nec tamen paucis eadem displicuit; atque nonnulli Philosophi appellationem *Juris Voluntarii* censemtes incommodam, *Jus* hoc *Positivum* nuncuparunt. Legum Divinarum indoli convenienter hæc primum in *Naturales & Positivas* dividi; *Positivæ* deinceps in *Universales ac Particulares* solent subdividi;

di; de quibus singulis speciatim differere, quum opus foret nimis prolixum, in existentiam Legum Positivarum universalium, de qua in utramque disputatum fuisse partem novimus, paucis & quantum ingenii ferant vires, hac inquiremus occasione. Faveas, Benevole Lector, juvenilibus hisce meditationibus; nos vicissim animo Tuo, sciendi cupido, non auctoritatis quandam favum ex aliorum scriptis de promtum, sed planas sententiæ nostræ propinabimus rationes.

(a) vid. Libr. I. de Jure Belli & Pacis Cap. I. §. §. XIII, XV.

§. I.

Leges Divinas in *Naturales* ac *Positivas* a Philosophis dividi, modo indicavimus. Legem *Naturalem* definimus per normam actionum humanarum, quarum moralitatem ex consideratione Divinarum perfectionum & humanæ conditionis nostra perspicit ratio. Scilicet concessit Deus nobis intellectum seu facultatem rerum nexum perspiciendi, atque ita ex certis principiis certas eliciendi conclusiones ac veritates practicas, instar legum in moderamine actionum nostrarum valituras. Lex Divina *Positiva*, Legi *Naturali* contradistincta, est norma actionum nostrarum, quarum moralitatem ratio nostra non assequitur, de qua proinde ex Divina constat revelatione. Quæ Lex si omnes obliget homines, dicitur *Universalis*; si certæ eidam genti præscripta, *Particularis* audit. Ex qua-

quarum definitionum tenore colligunt multi, Leges Positivas a Naturalibus differre pro diverso tum objecto, tum etjam earundem promulgationis modo. Sic GROTIUS ad Jus Naturale retulit actiones, *de quarum indole ex earum convenientia vel disconvenientia cum ipsa natura rationali constat*, de Jure Divino voluntario afferens, quod non ea præcipiat aut vetet, quæ per se ac suapte natura aut debita sunt aut illicita, sed vetando illicita, præcipiendo debita faciat (a). Quantumvis autem magna sit GROTIUS auctoritas, eo usque tamen non valet, ut nobis persuaderemus, Deum in ferendis Legibus Positivis sine rationibus egisse objectivis & suum tantummodo consuluisse beneplacitum; quum talis suspicio Divinæ vel sapientiæ, vel eximiæ, qua genus humanum complectitur, bonitati minime conveniat. Quid? Quod plerarumque Legum Divinarum, quæ Positivæ Universales venditantur, rationes detegamus, ceu infra speciatim ostendemus, & si omnes obtusum, quale nostrum est ingenium, plene planeque non adsequatur, propter hanc tamen cognitionis nostræ insufficientiam Leges hæ ex familia Legum Naturalium non sunt excludendæ, quamdiu nonnullas communis prosapiæ in iisdem detegimus notas, & Legum Positivarum cum natura humana nexum, saltem aliqualem, ostendere possumus. Unde sequitur, differentiam inter Leges Naturales & Positivas Universales ab objecto petitam, esse magis idealem, quam realem.

(a) Vid. citat. GROTIUS Libr. I. Cap. I. §. X.

Præcipuum Legum jam memoratarum discrimen
 in diverso cognoscendi principio vel promulgationis
 modo constituere solent Philosophi, quum Leges Na-
 turales ex *ratione*, Positivæ autem Universales ex *Re-
 velatione* omnibus hominibus innotescant. Quocirca
 oblervat GROTIUS, qui Jus Voluntarium universale
 in scenam primus produxit, *Jus hoc generi humano
 ter a Deo fuisse repetitum, statim post hominem condi-
 tum, iterum in reparatione humani generis post diluvium,
 postremo in sublimiori reparatione per Christum* (a).
 Plerique autem Juris Doctorum, hypothesi Grotiana
 de CHRISTO, Novo Legislatore, rejecta, duplarem so-
 llemmodo Legum Positivarum universalium promul-
 gationem admirerunt, alteram per Adamum, per No-
 achum alteram factam. Quamvis autem certo cer-
 tius constet, quod primus noster Parens Adamus,
 qui in statu integratatis constitutus, ut Caput ge-
 neris humani repræsentativum considerari potest, quas-
 dam a Deo acceperit leges; attamen quum in sacris
 pandectis nullum compareat indicium vel repetitionis
 acceptarum legum ab Adamo coram suis posteris
 factæ, vel observantiae earundem per primum sesqui-
 millenarium, sequitur promulgationem legum Positi-
 varum Universalium, quæ per Adamum facta perhi-
 beatur, difficultatibus non levibus premi. Debuit qui-
 dem Adamus notitiam harum legum suis impertire
 posteris; sed si ipse & liberi ejus hoc intermisserint of-
 fici-

ficiū, ut eosdem hoc parum eurassem probabile est, nec promulgatio istarum legum, nec eidem annexa obligatio haberi potest generalis. Atque ob similes rationes perplexa etiam videtur altera legum saepius nominatarum promulgatio, quae per Noachum, alterum generis humani Syndicum, facta afferitur. Insuper quam in serie legum, quas Adamo & Noacho Deus prescripsit, nullae earum, propter quarum transgressionem gentes nonnullae Levit. xviii punitae leguntur, compareant; nulla autem Lex, nisi fuerit promulgata, violata dici possit, hinc nonnulli talem negant conclusionem, aut Legum, Levit. cit. Capite occurrentium, promulgationem aliquando esse factam, licet temporum injuria contigerit, ut ignoremus tam personas, quibus eadem sit facta, quam tempus publicationis, aut Deum, in legum harum transgressores animadvententem, esse injustitiæ argendum; posterius quam sit prorsus absolum, prius esse ponendum. Enimvero ambigi vix potest, quin vel Historia vel traditiones Majorum nobis conservassent memoriam universalis legum memoratarum promulgationis, si qua unquam fuisset, quam facta minoris momenti in antiquis occurrant annalibus. De cætero ne scrupulus, contra Divinam justitiam injectus, quemquam moveat, in subsequentibus clare, ut opinamur, ostendemus, gentes Canaaniticas propter violationem non legum quarundam Positivarum Universalium, sed legum Naturalium ex justissimo Dei judicio pœ-

nis fuisse multatas, adeoque necessarium non esse, ut in subsidium hypotheseos Grotianæ promulgationem fingamus universalem. Urgent alii per Religionis revelatae annunciationem, longe lateque factam, gentes ad legum istarum notitiam pervenisse, solum si debitam adhibuerint curam, pervenire potuisse. Sed quum Religionis per orbem annuntiatio lente adeo processerit, ut multi adhuc, ceu itineraria docent, reperiantur populi, ad quos eadem nondum pervenit, atque Deus in cognitionem Legum ac constitutionum suarum quoslibet non admiserit populos Ps. CXLVII: 19, 20, neque allata hæc præsumtio sufficit probandæ universalis quarundam legum Positivarum promulgationi. Quid? Quod a nostra sententia non plane alienus videatur **GROTIUS**, qui triplici legum harum a se commémoratae promulgationi talem subnectit restrictionem: *Tria hæc jura haud dubie omnes homines obligant, ex quo, quantum satis est, ad eorum notitiam pervenerunt.* Denique quum legum Positivarum universalium numerum nonnulli ampliorem, strictiorem alii faciant, ac de præcipuis etiam earum controversiam sibi invicem moveant; evidens esse arbitror, quod hypothesis, quam rationibus confirmare nituntur dissentientes, ipso facto convallant.

(a) Vid. GROTIUS citat. Libr. I. Cap. I. §. XV.

§. III.

Generatim hactenus ostendimus, sententiam eorum, qui pro legibus Divinis Positivis Universalibus pu-

pugnant, argumentis parum firmis niti; postulat instituti ratio, ut in majus nostræ opinionis robur, præcipuas leges, quæ ad classem memoratarum communiter solent referri, seorsim sub examen revocemus. Inter illas primo loco occurrit præceptum Divinum de *Septimo die sanctificando* Gen. 11: 3, quamvis nec hoc ipsum ad leges Positivas Universales retulerit **TITIUS** (a). Mandatum autem hoc Divinum legibus modo nominatis esse inferendum, ex duplii potissimum argumento urgent harum Vindices, tum quod datum sit Adamo, Capiti generis humani repræsentativo, tum quod Deus hunc sanctificaverit diem & eum separaverit ad cultum sibi specialius exhibendum, propterea quod septimo mundi die ab opere creationis tunc absolufo requieverit; quam tamen instituti Sabbati caussam ratio, sibi relicta, tanto minus capit, quod circumstantiae, in creatione universi occurrentes, ipsam plane fugiant; quare etjam in scriptis veterum Philosophorum tot insulsa de ortu mundi occurrunt placita. Addunt insuper nonnulli, universalitatem hujus Legis probaturi, effatum **JOSEPHI** (b) εὸν ἐσιν ἡ πόλις ἔλλήνων εδὲ βάρβαρος, εδὲ ἐν Ἑθνος, ἐντα μη τὸ Τῆς ἐβδομάδος, ἢν ἀγρῆμεν ἡμεῖς, τὸ ἑπος ἡ διαπεφοίηκεν, quod in linguam latinam ita vertit **HUETIUS** (c). *Nulla omnino urbs est vel Græcorum vel Barbarorum, neque ulla gens, ad quam non penetraverit mos celebrandi septimi diei, quem feriati traducimus.* Enimvero speciosa magis, quam momentosa sunt hæc dissentienti-

um argumenta. Diffiteri enim nemo omnino potest, quin mens humana, et si revelationis lumine non sit collustrata, rationes quasdam legis de septimo die sanctificando objectivas, licet non plene omnes, asse-
quuntur. Quicunque enim ad se & suam attenderit conditionem, haud operose perspicit, tum quod a Summo Numinе ita dependeat, ut ex solo ipsius be-
neficio existat, vivat, & omnia, quibus quotidie frui-
tur, bona Ejus gratiae accepta referat, tum etjam
quod cor pumice durius gereret & in officium gra-
vissime peccaret, nisi tantum Benefactorem religioso
prosequeretur cultu, devotissimamque pietatem non
internis solum animi motibus, sed externis quoque
insimul corporis actibus declararet. Si enim non suf-
ficiat, ut cives reverentiam, Principi debitam, piis
conciipient animis, sed opus omnino sit, ut eadem
externe probetur; multo minus officii sui numeros
implet, qui pietatem in Deum cogitationibus tantum,
sive corporis motibus, illis consonis, declarat. Ob-
jicitur quidem, quod Deus omniscius externis reve-
rentiae testificationibus non indigeat, sed nec interno,
quippe sibi sufficientissimus, opus habet cultu, & pro-
inde utroque supersedere licet, quod maxime abso-
num; quum nemo arctissimè, quo Summo Numini
adstringitur, obligationis vinculo sese exsolvere pos-
sit. Insuper sana nos docet ratio, e re nostra esse, ut
cultui Divino statos quasdam peculiariter impenda-
mus dies, atque his vacationem a confvetis labori-
bus

* * * * *

bus nobis indulgeamus, tum ne in pietatis exercitio
aliis distrahamur negotiis, tum ut fessae animi ac cor-
poris vires opportuna requie identidem reficiantur,
tum denique ut alii nostro exemplo ad paria officia,
Deo sibiique præstanta, excitentur, ac proinde sanctifi-
cationem unius inter plures dies esse tam gloriæ
Divinæ, quam naturæ humanæ convenientissimam.
Hactenus itaque & hoc intuitu rite statuitur, Sabba-
ti sanctificationem esse Juris Naturalis. Quisnam au-
tem dies, an aliquis in circulo quovis hebdomadario
sit dicto modo celebrandus, ratio sola decernere ne-
quit, quamvis posterius censeat non iniquum. No-
tum quidem est, quod veteres & numero septenario
multum tribuerint, & tempus in septimanas distinxer-
int; origo autem tam illius erroris, quam hujus in-
stituti ex principiis eorum Astrologicis ac speciatim
ex septenario planetarum numero, quorū insigne in
hæc sublunaria suspicabantur influxum, videtur
repetenda (*d*). Lex igitur de Sabbati sanctificatio-
ne, quatenus hæc septimo hebdomadis diei est adstric-
ta, est *Positiva*; dubium vero adhuc: an Universalis,
vel particularis eadem sit putanda. Quod Adamus,
qui in statu integritatis constitutus fuit generis huma-
ni Caput repræsentativum, legem de septimo die
sanctificando accepit, exinde non sequitur, notitiam
hujus præcepti ad omnes pervenisse gentes; siquidem
ab Adami scientia ad posterorum ipsius cognitionem
argumentari non liceat. Notari debet, quod in Hi-

storia Sacra mentio fiat nulla, quod vel Patres Ante-diluviani vel Patriarchæ hanc legem observaverint ipsi, aut suis commendaverint filiis ac nepotibus: quare nec vastissimo illo temporum intervallo, quod inter Adamum & Mosen intercedit, uspiam legimus, Sabbatum a Viris, Deo dilectis, nedum a gentibus promiscue fuisse celebratum; quamvis nonnulli illorum Nomen Dei solenniter annunciasse memorentur. Fal-litur omnino **DIO CASSIUS** (*e*), originem moris illius Sabbatum celebrandi recentem esse, & ab Ægyptiis profec̄am, indeque ad Judæos & reliquos homines dimanasse asserens; probabile autem est, Mosen Legem de Sabbato sanctificando in actis sui populi & majorum consuetudine invenisse (*f*), illamque, redditâ popularibus suis ex servitute Ægyptiaca libertate, postliminio introduxisse, adeoque legem s̄epius nominatam esse particularem, genti Israëliticæ præcipue destinatam. Confirmatur hæc nostra opinio testimonio ipsius Dei Exod. xxxi: 13, 14, 17. *Observe-*
te, ita JEHOVA Israëlitis præcipit, Sabbatum meum,
nam signum est inter me & vos per generationes vestras
Observebitis igitur Sabbatum, quia res est sancta vobis. *Sabbatum inter me & filios Israëlis signum est in perpetuum, quia sex diebus fecit Jehova cælum & terram, die autem septimo quievit ac recreavit se.* Legimus porro Num. xv: 32 - 36 quandam, ligna Sab-bato colligentem, mortis poena mulctatum fuisse; qui quum Israëlita fuerit, tanto certius appareat, legem

* * * * *

de sanctificando Sabbato fuisse particularem, siquidem nullo præterea constet indicio, alios populos propter simile delictum reprehensos esse, aut punitos. Quibus accedit, quod si Lex, sanctificationem Sabba-
ti præcipiens, fuerit universalis, & exactissima pro-
inde ejusdem observatio omnibus injuncta hominibus;
nemini profecto suisset permisum, cultum Dei ultimo
cujusvis septimauæ die peragendum, in aliud diem
fine expresso Dei mandato transferre; quod tamen
primos Christianos, non tamen fine gravissima caus-
a, fecisse constat. Vix etiam crediderim, Israëlitas,
tot calamitatum procellis diu multumque per varias
jactatos regiones, exacte adeo observasse dies, ut fi-
ne omni calculi errore Sabbatum eo septimanæ die,
qui primo septiduo respondit, semper celebrarent.
Quod denique ad allatum JOSEPHI effatum attinet,
hoc ita verendum esse videtur: *Nulla omnia - - - ne-*
que illa gens, ad quam septimant, in qua nos vacamus,
confuetudo non pervenit. His itaque indicat nominatus
Auctor & consuetudinem distinguendi temporum inter-
valla per septimanas cunctis populis fuisse commu-
nem, & morem semel quavis hebdomade feriandi
suis popularibus peculiarem, adeoque testimonium
hoc non convellit, sed potius nostram confirmat sententiam.
Ut itaque paucis præcidamus: In lege Di-
vina de Sabbato sanctificando occurrint duo momen-
ta, alterum, quod merito habetur palmarium, respi-
ciens partim cultum Dei publicum, uno inter plures

dies peculiariter peragendum, partim necessariam hominum a consuetis laboribus requiem, quo utroque intuitu Lex memorata ad jus naturae pertinet; alterum minus principale, quod haec officia sabbato, cum tamen pietatis nostrae testificatio omni tempore sit Deo accepta, praestanda; quae legis pars ad legem spectat cærimoniam, adeoque est Positiva, non Universalis, sed particularis (g).

(a) In *Natis ad PUFFENDORFI Libr. de Officio H. & C. observ.* 91. §. 10. (b) In *Libr. II. contra Apionem p. m. 954.* (c) Vid. *Evangel. Demonstrat. Evangelie. p. m. 264.* (d) Ex eodem quoque prajudicio ecclesiæ Judæos accepserat TACITUS, ut prolixè hoc describit *Historiar. Libr. V. Cap. IV.* (e) In *Libr. I. Cap. 37.* (f) Vid. J. D. MICHAELIS *Mosaïches Recht Tom. IV. §. §. 194, 195.* (g) Propugnaverat quidem in *Disciplinis suis Moraibus Cel. CANTZIUS* doctrinam de Legibus Div. Positiviis Universalibus, ad quas nam Legem de Sabbatho sanctificando retulerat; re autem maturius, ut videtur, deinceps persensa, dubius hæret, an Lex de Sabbatho, etiam qua partem, ad Leges Positivas Universales referri debeat. Vid. ejus *Libr. de usi Philosoph. Leibn. & Wolf. in Theologia Tom. I. Cap. XI. §. 24.*

§. IV.

Interdictum Divinum Adamo, in statu integratitudinis adhuc constituto, sub poena mortis denunciatum: *Ne videlicet, ex fructu arboris scientię boni & malī comedederet Gen. II: 17*, ad Leges Positivas Universales esse referendum, eo evidentius existimant plerique harum Vindices, partim quod Adamo, quantumvis perspicaci, de ratione hujus interdicti objectiva sine Divina revelatione nihil constaret, partim quod Adamus

mus in hoc præfertim articulo esset generis humani
 Syndicus, quare etiam Apostolus PAULUS testatur:
quod omnes in Adamo peccaverimus Rom. v: 12. Quo
 autem loco hoc habendum sit ratiocinium, paucis di-
 spiciemus. Verum quidem est, quod Adamus, dum
 concreatae perfectionis jacturam nondum fecerat, ex-
 ixiām rerum quarumvis habuerit peritiam ac notiti-
 am; propterea tamen non erit putandum, vel empiri-
 ricam, quam nos habemus cognitionem, in Adamo
 fuisse intuitivam, vel hujus scientiam ulterioris incre-
 menti non fuisse capacem; quin *unigenitus Dei Fi-
 lius*, at Adamo quantum præstantior! *in cognitione
 coram Deo & hominibus increvisse*, legatur Luc. ii: 52.
 Liceat igitur de noxia fructus arboris memoratæ in-
 dole ante Divinam revelationem, adeoque de ratione
 interdicti objectiva, antecedenter ad hoc, Adamo ni-
 hil constaret, quamvis externus quorundam vegeta-
 bilium habitus nociferam horum vim prodat; hinc ta-
 men non sequitur, Adamum rationem istam experi-
 mento facto detegere non potuisse, quum arboris il-
 lus fructum vix gustasset, quam noxiā ejus vim in-
 se sentiret. Deus itaque Adamo esum fructus arbo-
 ris vetitæ prohibens, legem quandam Positivam non
 tulit, quin potius generale Juris Naturæ præceptum:
Fuge noxia, ad easum applicuit speciale, quare in-
 terdictum nominatum ad leges referri debet Natura-
 les. Sed si hæc aliis minus, quam nobis plana vide-
 antur, ponamus legem memoratam esse Positivam, &

dispiciamus, an eadem quoque fuerit universalis. Sicut arbor scientiae boni & mali eum in finem a Deo in horto Eden fuit constituta, ut Adamo præberetur occasio declarandi suam vel curam vel socordiam in obsequio, mandatis Divinis præstando; ita, tempore probationis transacto, non amplius valeret hoc interdictum, vel quod arbor ista deinceps foret exstirpanda, vel quod Adamus, in bono confirmatus, in vetitam postea non posset; unde manifestum est, legem hanc ex ipsis Dei intentione fuisse personalem. Et quamvis reatus Adamitici pœna ad omnes ejus transferret posteros; hoc tamen ipso nihil contigit, quod insolens aut iniquum esset, aut quod universalitatem legis probaret. Poteſt enim societatis cuiusdam Syndicus legem sibi latam & cuius ceteri cives nullam habere possunt notitiam, transgrediendo, culpam contrahere, toti imputandam societati; quæ proinde communem cum ipso transgressorè subit vel pœnam vel calamitatem. Similiter etjam Adamus, licet violando interdictum Divinum de non comedendo ex fructu arboris scientiae boni & mali, reatum contraxerit omnibus hominibus communem, legem tamen illam profane ipso accepisse videtur.

§. VI.

Præceptum Dei de individua mariti & uxoris cohabitatione, quod Gen. II: 24, his exprimitur verbis: *Relinquit maritus patrem & matrem atque sibi adhaere-*

*hæredit uxori, & erunt duo in carne una, quo simul
 divortium interdictum intelligitur, ad Leges Positivas
 referunt non pauei. Enimvero sicut eos non mora-
 mur, qui suspicantur, allata verba esse Adami, non
 Dei; contrarium enim ex Matth. xix: 5. satis constat;
 ita quod ad rem ipsam attinet, sciendum est, obligatio-
 nem conjugum ad individuam vitæ societatem, & di-
 vortiorum nonnisi in paucis casibus æquitatem, ex
 principiis Juris Naturæ luculenter demonstrari; adeo-
 que opus non esse, ut ad leges Positivas universales
 in hac confugiamus doctrina. Quum enim matrimo-
 nium sit societas inter marem & feminam sobolis pro-
 creandæ & educandæ caussa libero utrinque consensu
 inita, & ex tenore legis Naturalis, omnis societas
 rite inita, tamdiu servari debeat, donec fini, quem in
 societate constituenda sibi proposuerunt socii, fuerit
 satisfactum, sequitur, obligationem conjugum ad vitæ
 societatem tamdiu durare, quamdiu & spes procrea-
 tionis liberorum superest, & procreati cura suorum
 parentum indigent. Teste autem experientia, utra-
 que hæc cohabitationis ratio plerumque obtinet, do-
 nec invalida conjugibus obrepatur senectus; ergo socie-
 tas conjugalis tamdiu etiam continuabit. Obtento
 utroque hoc fine, dissolvi quidem posset conjugium,
 nisi rationi ac nostræ conservationi, quam per legem
 Naturalem promotam voluit Deus, magis foret con-
 gruum, ut illi, quorum per vegetam ætatem commu-
 nis fuit in liberis procreandis & educandis opera, nec
 non*

non jucundissima vitæ consuetudo, adventante debili
ac tristi senectute, mutui adjutorii ac consolationis
caussa, ad finem usque vitæ cohabitarent individui.
Addimus, quod per licentiam dissolvendi matrimonia,
qualem sibi arrogabat aspera Judæorum Natio, con-
jugum salus malitiæ & inconstantiae humanæ saepe
succumbat, conjuges se invicem graviter lœdant, li-
berorum educatio turbetur, tranquillitas familiarum
convellatur & harum bona temere dissipentur; quibus
penitatis incommodis, facile patet, divortia juri Na-
turali adversari. Et quum hæ rationes intuitu obli-
gationis primum perfectæ, tum imperfectæ, magis
adstringant conjuges ad individuam vitæ societatem,
quam illa, quæ ex formatione Èvæ ex costa Adami
Gen. 11: 21, 22, desumitur, quæque si proprie vale-
ret, nec liberi, qui partem substantiæ parentum cir-
cumferunt, horum familia unquam deberent excede-
re; quisque videt, opus non esse, ut præceptum de
individua conjugum cohabitatione, ad leges Positi-
vas Universales præter illius naturam referamus, quum
idem in Jure Naturæ fundetur; ex quo etjam patet
divortium propter adulterium, malitiosam desertio-
nem, aliasque his pares caussas, non ut in se bonum,
sed in malorum remedium, esse concessum.

S. D. G.

